

100
A 231
7

Hist:
III. c. 8.

an

38

JOH. NICOLAI FROBESII

MATHEM. AC PHILOS. PROF. P. O.

DE

SELENOGRAPHIAE
JVSTA DIGNATIONE

PROLVISIO ACADEMICA

DELIQVII LVNARIS, SVB INITIVM
D. XXXI AVGVSTI AN. dō bō CCXLVI. INCIDENTIS,
CONTEMPLATIONI

IN ACAD. IVLIA CAROLINA

PRAEMISSA.

ACCEDIT

FACIEI LVNARIS EFFIGIES GEOGRAPHICA.

HELMSTADĪ,

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR



JOHN NICHOLSON THORESEN
ATMOSPHERE OF GREENLAND

IN

18

RESEARCHES
IN JASTA-DIGNATIONE

IN THE

DEPARTMENT OF THE

UNITED STATES GEOLOGICAL SURVEY

CONTAINING

THE ACAD. EMILIA CAROLINA

OF

18

EMILIA CAROLINA

OF

UNITED STATES GEOLOGICAL SURVEY

18

DE
JVSTA SELENOGRAPHIAE
DIGNATIONE
PROLVSIO ACADEMICA

GENEROSISSIMIS NOBILISSIMISQVE ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS STUDIOVIS, FAVORIBVS ATQVE AMICIS
SVIS DILECTISSIMIS

S. P. D.

J. N. FROBESIVS.

§. I.



Ecce vobis, Commilitones honoratissimi dilectissimique, nuperis in astronomiam lectionibus promissam *faciei lunaris effigiem* istam, qualem superioris saeculi Endymiones quidam nobiles, HEVELIUS cumprimis, et GRIMALDVS, studio indefesso atque arte incomparabili concinnarunt: perquam sane congruam isti, quam Vos ipsimet non sine admiratione, ut opinor, nec sine omni voluptate, armato telescopiis oculo identidem mecum spectastis. Tamen si autem vereri haudquaquam debeo, ne qua forte inanis minusque fructuosa Vobis ea curiositas et sollertia videatur, quam in lustranda exactissimeque designanda lunae facie mathematici adhibuere, hodienu[m]que adhibent: scio enim Vos eorum, qui pane tantum vel lucro studia existimant, ignobilem sententiam generose ac merito detestari; haud iniucundum tamen, nec a Vestro, Commilitones, desiderio, neve a meo muneri officio alienum, credo, fuerit, quosnam usus praestare

❁) 4 (❁

stare lunae contemplatio et descriptio curiosa possit ac so-
leat, strictim nunc ostendisse. Tam enim multiplices ipsi
sunt atque eximii, quam mirabilis ipsa lunae facies,
quamque multiplices eiusdem phases et conversiones ex-
istunt.

§. II.

Principio scilicet quasi rem minime dubiam, iis sal-
tem, qui vel mediocriter etiam sapiunt, manifestam om-
nibus atque exploratam, absque ulteriori demonstratione
sumimus, oportere eos, qui mundum hunc adspectabi-
lem, quaeque nullibi non in eodem obvia sunt, almae
naturae mirabilia, numinisque perfectissimi magnalia nosse
ac peruestigare satagunt, ipsius etiam lunae indolem at-
que adfectiones, quantum quidem fieri potest, penitissi-
me perspectas habuisse. Atque id magis etiam ideo, quod
bene multa eorum, quae passim in tellure nostra fiunt,
vix ac ne vix quidem intelligi aut explicari absque peni-
tiori lunae noticia possunt. Dudum AMBROSIVS, *lunam
solis aemularricem, noctis decorem, maris dominatricem,
temporisque mensuram esse*, nec sine iusta causa, *in be-
xaëmero* pronunciavit. Quotus autem quisque sideris lu-
naris indolem, statum ac virtutes indagare, quaeque de
ipsius substantia atque ornatu passim atque in utramque
contradictionis partem disputantur, rite diiudicare, quae so-
poterit, nisi genuinam eius faciem ac phases seu luminis
vicissitudines varias curiosissime circumspexerit? quem-
admodum enim in rerum naturalium ceterarum, sic in lu-
nae quoque contemplatione a luculentis atque indubitatis
phaenomenis ratiocinandi capienda sunt primordia, nisi
temere transilire artis ac prudentiae empiricae leges volu-
eris. Ecce primum selenographiae usum, hoc fere pro-
nuntiatio comprehensum: *sine exacta faciei lunaris con-
templatione non ipsius modo lunae, sed telluris quoque
ac mundi manca est cognitio.*

§. III.

Vetustissima vulgi opinio, aut fabula verius commentitia est, faciem in luna eiusdemque maculis conspicuam esse *rustici* cuiusdam, qui sacrosanctam natalis CHRISTI servatoris vigiliam profesto in sylvis labore profanaverit, aut, si mavis, irreligiosi hominis cuiusdam, in lunam proscripti, effigiem. CAINI esse imaginem istam, humeris virgultorum fascem baiulantis, nonnulli crediderunt; notante id ipsum GALILAEO GALILAEI in suis *de mundi systemate dialogis*. Tralaticia, nisi me omnia fallunt, haec fabula est, nata sine dubio ex antiquissimis philosophorum ac poetarum *de animarum in luna purgatorio* commentis illis, quae copiose atque haud ineleganter apud PLUTARCHVM in libello *de facie, quae in orbe lunae adparet*, et apud LVCIANVM *historiarum ver. lib. 1.* descripta leguntur. Quis fabulae utriusque genuinus sensus et scopus sit, altioris indaginis quaestio videtur; quam nunc quidem expedire, propter instituti praesentis brevitatem, haud licet. Sed quidquid tandem eius sit, hoc saltem extra omnem dubitationis aleam positum est, posse naturalem commenti istius falsitatem tum demum apertissime cerni ac demonstrari, ubi luculentam disci lunaris imaginem istam, qualem ex recentioribus selenographis, vel, quod satius videtur, observationibus propriis, telescopio factis, consequi hodie licet, aliquanto curiosius et philosopho digna cum meditatione confideraveris. Ecce alterum selenographiae usum. *Exacta sideris lunaris consideratio et descriptio fabulae vulgaris de CAINO vel rustico in luna conspicuo falsitatem aperitissime ostendit.*

§. IV.

Varias ac multiplices de lunae substantia, vel constitutione, et deliquis hypotheses vel opiniones olim inter philosophos viguisse, haud obscure ex alibi (*in bibliogr. lun.*) traditis intelligitur. Plerasque earum falsas esse ac

temerarias, tantum abest ut miremur vel indignemur, ut magnopere potius eximiam atque admirabilem veterum quorundam, *PLVTARCHI* cumprimis, et quos idem celebravir, aliorum sagacitatem veneremur ac suspiciamus, qui ex valde imperfecta et confusa ista, qualem nudis oculis cernimus, disci lunaris facie ita subtiles ac speciosas de luna eiusdemque ornatu coniecturas fecerunt, ac si singulari tubo similive alio instrumento quodam dioptrico lunam essent contemplati. Quam facilis interim circa eiusmodi res, quae minus distincte sentiuntur vel percipiuntur, ad subreptionis vitium et vulgi praeiudicia lapsus sit; quam item circumspecte versari deceat, ubi iustas, quaeque sustinere examen possint, hypotheses condere de rerum naturalium conditione et causis voluerimus, vix planius intelligere licebit, quam ubi dilucidam fideris lunaris effigiem istam, quae telescopiis hodie spectatur, cum ea, quae nudis oculis et confuse tantum cernitur, nec non circumspectas recentiorum cum temerariis veterum quorundam de luna coniecturis gnaviter contenderimus. Ecce tertium selenographiae usum! *Acurata fideris lunaris designatio eximium falsitatis veterum quorundam de luna opinionum, nec non prudentiae ad condendas hypotheses philosophicas et mathematicas necessariae documentum est.*

§. V.

Neque vero unius lunae pleniori notitia penitioris selenographiae utilitas continetur. Quin potius tam late ipsa patet, ut simul ad planetarum sive fiderum erraticorum reliquorum, horundemque satellitum, et ipsius denique telluris nostrae contemplationem ipsa se extendat. Verissime *PLINIUS* (*historiae naturalis lib. II. cap. IX.*) *Omnium, inquit, admirationem vincit novissimum sidus, terrisque familiarissimum, et in tenebrarum remedium ab natura repertum, lunae. Multiforimi haec ambagae torsit*
inge-


ingenia contemplantium et proximum ignorari maxime si-
 dus indignantium, crescens semper aut senescens. Et modo cur-
 vata in cornua, modo aequa portione divisa, modo sinuata
 in orbem, maculosa, eademque subito praenitens, immensa
 orbe pleno, ac repente nulla: alias pernox: alias sera; et
 parte diei solis lumen adiuvans: deficiens, et in defectu ta-
 men conspicua: quae mensis exitu latet, quum laborare
 iam creditur. Iam vero humilis et excelsa, et ne id
 quidem uno modo, sed alias admota coelo, alias conti-
 gua montibus: nunc in aquilonem elata, nunc in au-
 stros dejecta. Quae singula in ea deprehendit homi-
 num primus ENDYMION, et ob id amore eius captus
 fama traditur. Non sumus profecto grati erga eos, qui
 labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce: miraque
 humani ingenii peste, sanguinem et caedes condere annali-
 bus iuvat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius i-
 gnaris. Proxima ergo carāni, ideoque minimo ambitu vi-
 cenis diebus septenisque, et tertia diei parte peragit spatia
 eadem, quae Saturni sidus altissimum triginta, ut dictum
 est, annis. Dein morata in coitu solis biduo, quum tar-
 distime a tricesima luce rursus ad easdem vices exit: haud
 scio an omnium, quae in coelo pernosci potuerunt, magistra
 in duodecim mensium spatia oportere dividi annum: quan-
 do ipsa toties solem, redeuntem ad principia, consequitur.
 Scilicet mirifica ista, quae hominibus a natura inest, cu-
 riositas sciendique cupiditas haud difficulter effecit, ut
 eadem in ceteris sideribus exquirent mathematici, quae
 nullo prope molimine vel studio adhibito frequenter ad-
 modum et manifestissime spectari in amplissimo eodem-
 que blandissimo lunae sidere poterant. Quod ipsum e-
 quidem quum fecerunt, non duplex modo corporum
 coelestium, sive stellarum, genus esse animadverterunt, fi-
 xarum, nempe, atque erraticarum, seu planetarum; sed
 in his etiam luminis proprii indigentiam, eius autem,
 quod a sole mutantur, vicissitudines, maculas item, ac
 digressiones vel conversiones varias, parallaxes denique
 et


et alia, quae lunae fidus erraticum fere singulis noctibus praebet, spectacula, sagaci coniectura quadam prospexerunt, deinceps vero ipsis oculis conspexerunt. Posteaquam vero haud contemnendis argumentis ostensum fuit, esse omnino aliquam eandemque mirificam lunae ac planetarum reliquorum, totidem quippe terrarum coelestium, seu libero in aethere velut natantium aut haerentium, eminusque conspicuarum, cum tellure nostra similitudinem; quid, quaeso, impedit, quo minus animo et cogitationibus e tellure nostra in lunam egressi, quam splendidam et maculosam, quam item variabilem atque insignis maculae cuiusdam transitu, eo nimirum tempore, quo solis radii a luna nova intercipiuntur, norabilem terrae nostrae faciem selenitis exhibeat, ex ipsius lunae facie, phasibus et deliquiis arguamus? Quid porro veritati ac naturae magis consentaneum iis coniecturis, quibus Saturni, Iovis, Martis, Veneris, et Mercurii sidera non terris modo firmis ac montibus, sed fluviis quoque ac maribus, insulis, atmosphaera, meteoris, plantis atque animalibus exornata vel instructa esse, ducto ab analogia argumento, sive propter egregiam ipsorum cum luna, huiusdemque cum tellure similitudinem, mathematici pronunciant? Ecce novum seu quartum selenographiae usum! *Luna, vel, ut rectius dicam, penitior sideris lunaris contemplatio princeps fere sideralis scientiae magistra est.*

§. VI.

Haecenus dicta sufficere quidem poterant ad ostendendum, exactam faciei lunaris contemplationem ac designationem non modo non inanem esse, sed insigniter etiam fructuosam. Sed unica tamen adhuc, ea nimirum, quae in eclipsibus lunae cernitur, eiusdem utilitas superest memoranda: levior ipsa quidem prima specie, ac nullius fere momenti, at egregia tamen, si digne rem existimaveris. Ut enim nihil nunc de ceteris eclipsium utili-

tati-











tatibus, nihil item de eo dicam, ex lunae defectionibus
 crassam ac terrestrem ipsius naturam, luminis inopiam, fi-
 guramque globosam rectissime cognosci; sane accuratior
 eclipsium lunarium notatio atque observatio mirificum
 ad pervestigandas locorum quoad longitudinem positu-
 ras ac distantias praestare solet compendium: manifesto,
 ut mihi quidem videtur, indicio, naturae detrimenta vel
 incommoda, quibus siderum defectiones accenseri citra
 dubium merentur, ita semper a numine providissimo
 temperata esse, ut exinde pronata generis humani cala-
 mitas ac molestia nunquam non eximias, imo vero ad-
 mirandas commoditates pariat. Quis ergo miretur, a
 mortalium fere plerisque, nisi forte barbari admodum
 ipsi fuerint atque a superstitione fascinati, praesertim vero
 a philosophis ac mathematicis uti siderum reliquorum,
 sic et cumprimis lunae defectus non modo citra metum
 ac pavorem, sed libenter etiam, et non sine aliqua mentis
 oblectatione spectari? Neque enim admiratio tantum,
 ceu fieri communiter circa res insolentes, saltem minus
 quotidianas, siveit, sed singularis etiam naturae insin-
 ctus atque opportunitatis sensus, maxime licet varius a-
 pud varios, ad eiusmodi spectaculorum coelestium con-
 templantationem homines exstimulat. Facile autem, qui
 sensu communi vel iudicio haud destituuntur, omnes in-
 telligunt, neutiquam perinde esse, quoquo modo lunari-
 um istiusmodi deliquiorum phaenomena spectentur ac
 designentur: mathematica enimvero, hoc est, accurata
 temporis ac momenti, quo ipsa incidunt, nec non ma-
 gnitudinis, decrementi atque incrementi necessaria men-
 suratio est ac designatio. Quae quum fieri absque distin-
 cta atque explicata faciei lunaris notione subtilissimaque
 regionum, montium, marium atque insularum, aut, si
 mavis, partium splendorum et macularum, passim in lu-
 na conspicuarum, designatione haudquaquam potest,
 hanc sibi legem recentiores astronomi vel ipsius logicae
 naturalis ductu sauxerunt, *ut disci lunaris maculae, nec*
 non




non ceterae partes splendidae ac notabiles suis quaeque nominibus insigniantur. Vix autem commodius, quam regionum, montium, marium atque insularum terrestrium, ut HEVELIO quidem visum fuit, aut astronomorum celebrium nec non rerum moralium, quod RICCIOLÒ placuit, nominibus lunae partes splendidae et maculas designare, meo quidem iudicio, licebit. Magis idcirco lepidum et festivum, quam sincerum aut serium IO. BURCH. MENCKENII, viri perquam ingeniosi, iudicium videatur, sic inter cetera in argutis de charlataneria eruditorum declamationibus, et declamatione quidem altera, pronuntiantis: de sole ac luna, et stellis omnibus veluti de patrimonio suo liberrime (arithmetici atque astrologi) transigunt. Nam ex quo HEVELIUS lunam adcurate dimensus, perelegantibus nobis dedit tabulas geographicas lunares, montesque et sylvas, lacus et flumina detexit: id sibi reliquum putavit RICCIOLVS, ut novum hunc orbem in certas provincias distribueret, et unam COPERNICO, alteram GALILAEO, tertiam KEPLERO assignavit: sibi ipsi vero tractum optimum et maxime conspicuum animo nequaquam novercante vindicavit. Ecce vero quintum selenographiae usum! Sine disci lunaris eiusdemque macularum et partium splendorum exacta designatione ac denominatione eclipsium lunarium observatio ac designatio adcurata fieri haudquaquam potest.

§. XVII.

Ac posterioris quidem vel quinti selenographiae usus huius experimentum aliquod fieri nocte proxima poterit, si telescopijs in coelum directis paulloque curiosius eam lunae defectionem, quae crastini diei summo mane futura est, contemplari ac designare licuerit. Igitur ut non Vestra modo, Commilitones iucundissimi, solertia, sed coeli quoque serenitas nostro huic instituto saveat, etiam etiam exoptamus. Scrib. pridie deliqui lunaris mensis Augusti an. 1746.





AB: 155064 (1)

ULB Halle 3
003 921 654




Sb.

VD 08

R

VD 17







an

38

JOH. NICOLAI FROBESII
MATHEM. AC PHILOS. PROF.P.O.
DE
SELENOGRAPHIAE
JVSTA DIGNATIONE

PROLVISIO ACADEMICA
DELIQVII LVNARIS, SVB INITIVM
D. XXXI AVGVSTI AN. dō bō CCXLVI. INCIDENTIS,
CONTEMPLATIONI

IN ACAD. IVLIA CAROLINA

PRAEMISSA.

ACCEDIT

FACIEI LVNARIS EFFIGIES GEOGRAPHICA.

HELMSTADI,
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR